



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Æternæ Ex Prima Hebdomade Asceseos
Jgnatianaè Petitæ**

Vogel, Matthäus

Constantiæ, 1731

Circa Præceptum VII. & X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60667)

diator fuerit in aliis ad peccatum turpe inducendis? 10. An adierit vel transferit locum aliquem cum malâ intentione aspiciendi; & an solo visu delectare se voluerit, an etiam peccato? & cui periculo se exposuerit? 11. An amore carnali affectus fuerit erga personam aliquam, sequendo eam animo peccandi &c. an non in simili casu varia peccata intervenerint, fortè etiam cum damno alterius? 12. An fucus, odoribus, musicâ, choreis & similibus usus fuerit ex malo fine? 13. An ipso opere peccaverit cum aliis, & cum quibus? & an fortè per vim aut dolum, aut promissionem fictam eos induxerit ad peccatum? 14. An jaetaverit le de tali peccato, personas etiam nominaverit cum damno famæ? 15. An peccaverit peccato foedissimo sodomix? 16. An inhonestè tetigerit bestias, aut aliud peccatum cum illis commiserit? 17. An fuerit aliis causa aut occasio peccandi in hac materia, & quo peccato, cum quibus? 18. An vitaverit occasiones proximas sic peccandi? Conjugati hîc se examinent circa statum suum, cum etiam ipsi peccare in hac re gravissimè possint.

Circa Præceptum VII. & X.

1. An rem alienam sustulerit per fraudem vel rapinam, & an rem sacram, vel è loco sacro? 2. An grave alicui damnum quovis modo intulerit? 3. An rem alienam retinuerit sine voluntate Domini, & non restituerit, cum posset?

4. An

4. an per vias illicitas impediverit aliquorum iura? 5. An gravia debita contraxerit cum damno proximi? 6. An studuerit debita sua solvere? 7. An rem inventam restituerit Domino, aut diligentiam adhibuerit Dominum experiendi? 8. An deposita vel commodata & locata amiserit vel detrimento affecerit? 9. An emendo aut vendendo fraudem fecerit in pondere, mensura &c. 10. An emerit quædam ab iis, qui vendendi potestatem non habent, ut à servis aut filiis familias? 11. An emerit res, quas sciebat, vel dubitabat esse furto sublatas? 12. An habuerit animum accipiendi aut retinendi aliena, vel colligendi opes per fas & nefas? 13. An commiserit usuram, simoniam, vel contractum iniquum iniverit? 14. An officium suum ritè impleverit sine damno proximi? 15. An operarios aut famulos fraudaverit mercede sua, vel hanc cum damno eorum distulerit? 16. An litem moverit contra justitiam, vel in lite justa usus fuerit fraude? 17. An ludis vetitis usus fuerit, aut in illis per fraudem aliquid fuerit lucratus, aut luserit cum illis, qui res suas alienare non possunt? 18. An defraudaverit gabellas? 19. An Ecclesiam spoliaverit decimis? 20. An per media illicita obtinuerit rem sibi indebitam, aut impediverit alios injustè à bono aliquo obtinendo? 21. An auxilium vel consilium dederit, vel ullo modo participaverit raptoribus rei alienæ?

E e 5

Circa